

Pari ratione is, qui tria aut plura commisit furta, quia violatori pacis publicæ æquiparatur, & famosus dicitur, qui tunc habere creditur consuetudinem furandi, *Marq. Freh. de fam. c. 9. nu. 7.* sine controversia pro more cujusvis regionis vita mulctari debet, *Farinac. de furt. q. 167. num. 50. & num. 80.* Vide *Iohan. Grivell. in Dolano S Cto decis. 94. per tot.* Ad hunc ternarium autem numerum suppleendum, ut ex eo crucis pœna imponi possit, furta illa tantum supputantur, quæ re, tempore, & loco distincta sunt, & propterea, etiamsi multæ res simultaneo, vel successivo tempore ex uno, pluribusve locis auferuntur, unicum furtum esse censetur, *l. eum qui, §. idem dicit, & ibi glos. in verb. sed non totum, ff. de furt. Ang. in auth. sed novo jure, num. 5. vers. item si interpolatis, C. de serv. fugit. Farinac. de furtis, q. 167. num. 72. & seqq. Covar. var. resol. lib. 2. c. 10. num. 8.* An fur, primo furto, & secundo punitis, vel ex indulgentia Principis remissis, ob accedens tertium furca possit suspendi? Affirmatur. Quia is, qui bis, aut ter perpetrasse convincitur, pœna constituta in tales delinquentes tenetur, *l. servos, §. viles autem, C. ad L. Jul. de vi publ.* nec requirunt leges aliquam punitionem, sed frequentiam & reiterationem delinquendi. Quia grassatores, qui spoliare instituerunt, si hoc sæpiùs fecerint, capite puniuntur, *l. capitalium, 28. §. solent, 3. & §. grassatores, 10. de pœn.* Quia iste, qui duo jam commisit furta, omninò videtur incorrigibilis, id eoq; propter illam furandi consuetudinem, quam in alteram mutavit naturam, meritò corporali pœna extinctiva est afficiendus: inprimis cum sine dubio iudici vitæ correctionem promiserit, & ei sit mentitus. Computantur itaq; duo priora illa furta, non ad puniendum, sed ad aggravandum, *Clarus in §. furtum, n. 16. Sich. ad auth. sed novo jure, C. de serv. fugit. Menoch. 2. arb. jud. quest. casu 295. nu. 19. Bonifac. in tract. de furt. §. fin. num. 39. Farinac. de inquis. lib. 1. tit. 1. q. 6. num. 1. & 2. idem de del. & pœn. lib. 1. tit. 3. q. 23. num. 8.* An cadavera suspensorum possint deponi, & sepulturæ mandari, an verò in patibulo necessariò sint relinquenda? Prius iure civili inspecto affirmatur. I. Quia corpora eorum, qui capite damnantur, cognatis ipsorum deneganda non sunt, si modò id à Principe fuerit petitum & permissum, *l. 1. de cad. v. punit.* & corpora animadversorum quibuslibet petentibus ad sepulturam danda sunt, *l. corpora, 3. eod. l. ult. de cad. pun.* & obnoxios criminum digno supplicio subjectos sepulturæ tradi non vetamus, inquit *Impp. Diocletianus & Maximianus in l. 11. C. de relig. & sumpt. fun.* II. Quia omnibus de peccatis suis puram pœnitentiam agentibus communitio in fine danda est, & cadavera eorum ad Ecclesias sunt deferenda, *c. questum. 13. q. 2.* & qui pro suis sceleribus puniuntur, eorum cadavera sine Psalmis ad sepulturam deducuntur, *c. placuit, 23. q. 5.* III. Quia cadavera punitorum insepulta relinquenda non sunt, *Psal. 79. Deut. c. 21. v. 22. & 23.* Cadavera punitorum sub vesperam diei terræ mandari debere dicitur, quia maledictus Deo est, qui pendet in ligno. IV. Quia

IV. Quia